

gabilis cogat. » Quod similiter asserit *tr. 5. casu 23. n. 723. in fn.*

(31. Sed quidquid de illis, prævio recessu a sequela ipsorum, quod scripsi *loc. cit. n. 17 et 18.* (prioris edition.) expunctum penitus volo, et sistendum edico tantummodo in scriptis inibi *n. 16, 19, 20 et 21.* captivans omnimode intellectum in obsequium tantæ Lambertinianæ Pontificiæ opinionis, malens ipsum præ cæteris aliis in omnibus, et per omnia sequi, uti et in istis secutus fuisset, et nedum scripto, sed nec animo contraria ei ausus fuisset, si dum ea scriberem præ manibus habuissem suas mirabiles Notificationes, eruditissimum dictum Opus de Synodo Diocesana, et prope divinum suum Bullarium firmiter mecum reputans, inoffenso posse pede procedere, si tantum Doctorem, tantumque Pontificem, ac peculiarissimum meum Benefactorem (utpote ab ipso Summis Apostolicis Gratiis cumulatus) pro Duce, pro Magistro, et Canone habendum censuerim. Et oh! faxit Deus, ut nedum ego, sed et omnes pari animo, submissione, et veneratione tantum cœlitus datum sanioris Doctrinæ Instructorem, firmioris Juris Conditorum ac summe vigilem Ecclesiæ Catholicæ Moderatorem plane sequantur, et imitentur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Tria *titul. Decretal. de cohabit. Clericor. etc.* prohibentur Clericis: 1. Consortium cum fœminis, quas olim vocabant Sorores, Agapetas, aut extraneas mulieres; 2. Conversatio suspecta cum mulieribus, et quod caput rei est; 3. Concubinatus.

(33. Prohibitio consortii Clericorum cum Agapetis continetur *cap. 1. dicto tit. Eas Justell. ad cap. 3. Concil. Nicæn.* describit: « Erant neque Uxores, neque Concubinæ; sed tertii ejusdem generis Mulieres, quas secum Clerici non sobolis, nec libidinis gratia, sed pietatis studio aut certe prætextu fovebant (1). »

(34. Interdicta præterea est Clericis omnis suspecta conversatio cum mulieribus extradomum, quod variis Conciliorum Canonibus exornat Claudius Espenæus *lib. 6. de Continent. cap. 12.* « Nemo (ait Symmachus Papa in *cap. 2. dist. 81.*) enim recte Personam majoris suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, et amorem innocentie conversatione demonstrat. » (35. Cæterum hoc intelligendum de conversatione frequentiori, et ex aliis causis suspecta, quod ex moribus Clerici, tum vita anteacta mulieris, æstimandum.

(36. De variis prohibitionibus Concubinatus Clericis factis consule Bohemer. *in decretal. lib. 3. tit. 2. ser. per tot.* (37. Hic vero omittendum non est, Episcopos adversus Clericos concubinarios procedere de-

(1) Vide, si libet, Ludovicii Antonii Muratori Dissertationem de Synisactis, et Agapetis in *Mantissa Dissertat. ad Part. III disciplinæ Populi Dei* Claudii Fleury. Confer Prosperi Cardinalis Lambertini *Institution. 82. et 83.* in quibus agitur de Parochis, et

bere servato ordine præscripto a Conc. Trid. *sess. 22. c. 6. et sess. 25. cap. 14. de reformat.* (38. quo, ut monet clariss. P. Girald. in *Elench. Decretal. ampliata Sacri Concilio Tridentino Elench. 3. lib. 3. tit. 2. ampliata,* et respective moderata fuit Decretalis in *cap. 2. de cohabit. Clericor.* infligens Clerico in sacris suspecto de fornicatione cum quacumque fœmina pœnam excommunicationis latæ sententiæ post trinam monitionem. Ordo autem hic sequens est.

(39. Monendi in primis et quidem monitione speciali in personam sunt, etiamsi notorii sint. (40. Quare non sufficit generalis per edictum, aut in Synodo facta. (41. I. Licet alias hæc trinæ monitionis vim habeat. II. Si ita moniti non abstinerint ipso facto, privandisunt parte tertia fructuum quorumcumque, et pensionum, quæ Fabricæ Ecclesiæ, aut alicui Loco Pio arbitrio Episcopi applicatur. (42. III. Si perseveraverint in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina, nec paruerint secundæ monitioni, eo ipso amittunt fructus omnes Locis Pii applicandos, et insuper ab administratione suorum Beneficiorum, quandiu Ordinario videbitur, debent suspendi. (43. IV. Si ita suspensi nihilominus non abstineant, privandi sunt perpetuo beneficiis, pensionibus, et officiis Ecclesiasticis quibuscumque, ac inhabiles ad ea in posterum assequenda debent declarari. (44. V. Si etiam ita puniti non respiciant, excommunicationis gladio sunt plectendi. Rota in *Placen. Parochiæ 9. Decembr. 1743. § 9. cor. bon. mem. Lan. et in confirmatoria 15. Jun. 1744. § 8. cor. cl. mem. Millin.*

(45. Simplex vero Clericus concubinarius, vel fornicarius punitur pœna carceris, vel suspensionis ab Ordine, ac inhabilitatis ad beneficia obtinenda, ut pariter monet P. Girald. ubi supra.

(46. Nomine vero Clericorum, concubinariorum, contra quos ita procedere potest, et debet Episcopus, intellige eos, qui concubinam, vel domi suæ, vel etiam extra illam alibi instar uxoris continue retinent. Cæterum Clerici, qui simplicem incontinentiam commiserint, non possunt ita plecti; ut tradunt DD. in *titul. decretal. de cohabit. Clericor. Zypæus n. 6. Pirhing. n. 14. Schmalzgrueb. n. 9.*

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(47. Concilium Nicænum vetuit cohabitare Clericos cum mulieribus subintroductis. Sunt autem Mulieres subintroductæ Latinis, quæ Græcis *συνηστουται*. Ex versionibus Concilii Nicæni patet, Mulieres subintroductas, esse Mulieres extraneas. Prohibitionem hanc Concilii Nicæni confirmarunt alia Concilia.

(48. Plures sane quæstiones proponit, at-

Sacerdotibus, qui habitant cum mulieribus, vel sanguineis, et recensentur rationes, quibus abutuntur et Viri Ecclesiastici, et Mulieres, quæ ipsis inserviunt. (*Edit. Barbiell.*)

que resolvit Cornelius Sa *judicii œcumenici par. 3.* de hac cohabitatione Clericorum cum Mulieribus extraneis.

(49. Solum hic nos duas exscribemus, nimirum quæstionem decimam nonam et quæstionem vigesimam primam. Quæstio decima nona ita concepta est, an omnes extraneæ senes sint Clericis permissæ. Respondeo, debent esse minime suspectæ de vita antea. Et cum servitutum partiti simus in primam a quinquagesimo anno, quæ est viridis, et cruda usque ad 60 annum, in mediam usque 70 annum, et in curvam atque decrepitam a 70, usque ad finem vitæ, dic Clericis nullo modo permissas extraneas senes nondum sexagenarias. Primo quia minores sunt adhuc crudæ virides, et robustæ. Et porro fœdus illud naturæ nec dum initum, vel percussum. Secundo quia supradicti Auctores qui senes permittunt, requirunt multum antiquas, seu vetulas, idest quasi victas, et cariosas, juniores autem sexaginta annis non possunt dici multum antiquæ vel vetulæ. Tertio quia minores 60 annis non excusantur a jejunio, etc., quarto supra monstratum est ex Julio Claro sexagenarios et ultra tamquam adhuc robustos, et fortes Judicium sententiæ tormentis subijci; ex quibus omnibus elicimus, quod intendimus omnium calculo fœminas senes minores sexaginta annis generaliter esse non victas, sed vegetas, et porro virere, vigere, et robustas esse, et consequenter Clericis periculosas. Alia aifert argumenta Auctor hic ad probandum, quod intendit, et argumenta contraria solvit. Eum consule ubi res postulet.

(50. Transeo ad quæstionem vigesimam primam, cujus tenor est.—An extraneæ mulieres deformes possint Clericis ancillari? Respondeo illas deformitatis titulo nullo jure, vel autore permitti. S. Cyprianus *de singularitate Clericorum* prope finem illas vetat. « Nulla despecta ad domesticum obsequium est suscipienda, *inquit*, quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidio vel vilis existit, quia Diabolus pingens speciosum efficit quidquid fœdum vel horridum fuerit. » Memini me nuper ex ore cujusdam Illustrissimi Archiepiscopi audivisse, Martum Uxor pulcherrimæ consuetudinem habuisse cum turpissima Ancilla. Et experientia magistra novimus, ob deformitatem, modo corpore, et mente sanæ sint, nullas a matrimonio repudiari, sed omnes suos respective reperire consortes Conjugii, et tritum apud Belgas nullam ollam tam obliquam, quin reperiat ei suum congruum, et proportionatum coperculum.

Alias quæstiones, ne nimius sim lege apud ipsum Autorem.

(51. Alia ad rem. Vid. in verb. *Comœdia* per tot.

(1) Canonica disciplina ab ipso prope sui exordio, et deinceps semper succedentibus annis Clericis suis interdixit lusus alearum, aut hujusmodi ludis interesse, iisque spectatores sese præbere. Hoc satis

FERRAR. II.

ARTICULUS V.

Clericus quoad ludos, cauponas, vel tabernas, crapulam et ebrietatem.

(1. Clericis est severissime prohibitus alearum, seu taxillorum ludus, et maxime ille ludus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur; ut habetur expresse *ex Can. 41 et 42 Apostolorum*, ubi in transgressores, nisi desistant, statuitur pœna depositionis, aut excommunicationis, ibi: « Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitur. Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector, qui consimilia facit, vel desinito, vel a Communione sejungitur. » Concordat *c. Episcopus 1. dist. 35.* ibi: « Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens: aut desinat, aut communionem privetur; » *c. Clerici Officia 15. de vita, et honest. Cler.* desumptum ex Conc. Generali Later. celeb. sub Innoc. III. ibi: *Clerici . . . ad aleas, vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint;* Conc. Trid. *sess. 22. c. 1 de ref.* ubi renovat antiquas prohibitiones, quas Ecclesia circa hoc Clericis statuit, et præcipit, ut adhuc severius puniantur, si necesse fuerit, illi qui reperiuntur his prohibitionibus non paruisse, ibi: « Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Cler. vita, et honestate . . . aleis, lusibus . . . copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. » Concilium Burdigal. celebratum 1583, ludum sic Clericis interdicit: « Ab alea, tesseris, Chartis, et quovis alio vetito, et indecoro ludo tum privatim, tum publice penitus abstineant. » Concil. Senonense celeb. 1528. *Can. 15.* sic præcipit: « A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant. Conc. Mediolan. I, par. 2, tit. de armis, ludis, etc., ubi S. Carolus sic statuit: Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere. » (2. Immo non solum Legibus Ecclesiasticis et Canonicis est ludus prohibitus Clericis, sed etiam Legibus Cæsareis, et Civilibus, ut expresse habetur in *Authent. Interdicimus Cod. de Episcopis, et Clericis*, ibi: « Interdicimus Sanctissimis Episcopis, et Presbyteris, Diaconis, et Lectoribus, et omnibus aliis cujuslibet ordinis venerabilis Collegii ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri Si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili Ministerio prohiberi, et in Monasterium redigi (1). »

aperte evincit Cl. Auctor noster productis ex omni ætate Ecclesiasticis sanctionibus. Legi etiam poterit hæc de re Natalis Alexand. in *de Sacram. Ordinibus Lib. II. cap. 5. de vita, et Honest. Cleric. Regul. 4.*

(3. Quare ex tam multiplici rigida prohibitionē, simulque adjunctis pœnis, nonnisi pro peccato mortali imponi solitis communiter colligunt Doctores, quod Clericus lucrigratia, et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter, præsertim si frequenter aut publice cum scandalo aliorum id fiat. Navarrus *cap. 20. Manual. num. 9.* Sylvester *verb. Ludus q. 4. Layman. l. 3. Theolog. moral. tract. 4. cap. 21, n. 1.* Pirhing. *l. 3. dec. tit. 1, n. 25.* Reiffenstuel *ibid. n. 58,* et alii. (4. Secus vero esset dicendum, si privatim, ac sine scandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex redditibus Beneficiorum suorum, sed solum in quantitate modica spectato statu suo, et reddituum copia, recreationis causa luserit, præsertim cum nostris hisce temporibus rigori antiquorum Canonum per consuetudinem derogatum videatur. Tum quia Canones relati loquuntur de illis, qui *aleæ, et ebrietati deserviunt*, idest, crebro, et per longum tempus ludunt, seu lusui hujusmodi *valde serviunt*, ut explicat Glossa in *cit. c. Episcopus d. 35. verb. deserviens*, Lessius *l. 2, de Justitia, et Jure cap. 26. dub. 1. num. 5 et 6.* Reiffenstuel, Pirhing et Layman. *loc. cit.* (5. Qui Layman *ibid. num. 2.* insuper addit, Clericos ludentes raro, et moderate ob recreationem, omnino excusari a peccato, si Lex Diœcesana ipsis non prohibeat tales fortunæ ludos, et consuetudo loci permittat, ac quodammodo cohonestet. Pirhing

qui hoc ipsum omnium cumulatissime demonstrat. Qua quidem in re tria nobis advertenda ad majorem claritatem operæ pretiam duximus. I. In confesso est apud omnes alearum nomine intelligendum lusum quemcumque, etiam chartarum, qui magis fortunæ innitatur, quam industriæ, et ingenio, quod sane haud ægre fatebitur quisquis notionem vocis *aleæ* apud Latinos perpendet, quæ designat incertum eventum. Unde illud Horatii *periculose plenum opus aleæ; aleam jacere*, aliaque id genus. Lege Van-Espenium *Part. 1. tit. 11. de Vita et Honest. Clericor. cap. 5. II. Ecclesiasticis legibus, immo et imperatoris, ut Justiniani Novell. 125. cap. 40. de Sanctissim. Episcop. et Cleric. æque damnantur, ac pœnis afficiuntur Clerici ludentes hujusmodi lusibus ac si fuerint eorumdem inspectores, ac participes.* Spectatores porro, si proprie loqui velimus, aut ex sententia Canonum, non ii sunt intelligendi, qui scientes ac volentes non adeunt hujusmodi domus, aut societates, in quibus alea luditur; aut in iis forte non morantur eo fine, ut hujusmodi lusibus intersint: sed qui ex condicto, deliberata voluntate, absque necessitate, eo se conferunt, ubi alea luditur, et hujusmodi spectaculo avidos pascant oculos, quo Deus offenditur; qui ludentibus favent, iisque applaudunt, qui eorum cupiditate afficiuntur: qui denique sua præsentia hujusmodi ludis auctoritatem conciliant, quos omnes æque graviter peccare, ac ipsosmet ludentes extra omnem dubitationis aleam esse debet. Lege Natal. Alexandr. *In Append. ad texta ad suam Theologiam tom. I. Epist. 5. de Peccat. Cleric. aleæ ludentium*, et ubi hoc ipsum adversus Anonymi cujusdam scrupulos, qui hanc sanioris Ethicæ Regulam vellicare ausus fuerat, copiosius demonstrat. III. Quantum ad cæteros porro ludos, qui non illiciti reputantur, quique non a casu, sive fortuna, sed ab industria dependent, illos interdum ad animi levamen, quo suis obeundis munis acrius,

loco citato. Monacell. *tom. 3. tit. 2. formul. 6, num. 6.* (6. Ludum autem Scacchorum seu latruncolorum non esse prohibitum Clericis, tenent Abbas in *cap. Clericis 15. de vita, et honest. Cleric. n. 4.* Jo. Andr. *ib. n. 18.* Barbosa *ibid. n. 8.* et alii ab ipso citati; ubi idem Barbosa de Scacchorum, seu latruncolorum ludo sic subjungit: « Qui quidem latruncolorum ludus licet ingenio constet, non multum tamen literatis hominibus convenire arbitramur, quod mentem jam literarum studiis fatigatam recreare magis cessatione, et quiete, quam novo meditationis labore gravare oporteat, » ut etiam advertit Joann. Baptista fin. de regul. Jur. hom. 22, in fine. (7. Sic etiam est Clericis permissus omnis ille ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. Farin. in *praxi Criminal. part. 3. q. 109. num. 103 et 106.* Bellet. *disquisit. Clerical. part. 1. tit. de disciplina Clerical. § 24. num. 8 et 9.* Barbosa *loc. cit. num. 7.* et alii. (8. Quantum autem ad ludos, ut supra prohibitos nempe alearum, et taxillorum, aliorumve, qui non recreationis gratia frequentantur, advertendum est, quod merito Clericis prohibentur, eo quod ex illis plura nascuntur inconvenientia, quæ recenset Archidiaconus in *cap. Episcopus dist. 33.* Primum est desiderium lucrandi, et sic est cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Secundum est voluntas spoliandi proximum, et sic est rapina. Tertium usura quoque consideratur.

ut par est, intendere possint, etiam a Clericis posse adhiberi, nemo inficias ire poterit. Hujusmodi enim ludi, si congruant personæ, temporis, et secundum alias circumstantias debite ordinentur, ut scilicet sint tempore, et homine digni, non solum omni prorsus vitio vacant, sed etiam ad genus virtutis pertinere possunt, quam D. Thom. 2. 2. *qu. 168. Art. 2.* in corp. Aristotelem secutus *Eurapeliæ* vocat. Lege D. Thom. *loc. cit.* Et de cautionibus servandis a Clericis in hujusmodi lusibus, lege Van-Espen *loc. cit.*

Demum, ut Auctoris nostri doctrina proposita n. 5. magis illustretur, neve alienis interpretationibus in pravam sensum detorqueatur; placuit hic referre D. Antonini auctoritatem, unde propositum sub hoc num. doctrinæ caput mirifice confirmatur. Itaque S. Antoninus *Part. II. tit. 1. cap. 25.* docet inter cætera ludum aleæ esse peccatum mortale: *Quando ex cupiditate quis ludit, ea scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, et moderate, non videtur mortale... Et hoc etiam videtur innuere textus Canonis: Episcopus, dicitur enim: deserviens, id est frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate. Hoc tamen non ita intelligendum esse monet, quasi mortale peccatum non sit alea ludere, nisi ex consuetudine fiat; sed quia frequentia, et assiduitas vehementis cupiditatis indicium est. Cæterum vel semel taxillis, aut chartis etiam uti antea dictum est, ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est. Sicut etiam, prosequitur D. Antoninus, vitium ebrietatis, cui ludus æquiparatur in pœna, etiam semel commissum adveniens, est mortale. Quædam alia non minoris momenti, quæ in hanc rem dici possent, discutientur opportunius, cum ad ver. ludus perventum fuerit. (Ed. Neap.)*

Quantum multiplicata mendacia, et verba obscœna, otiosa, et vana. Quintum blasphemiam, et ita hæresis. Sextum corruptio maxima plurimorum, qui ad ludum videndum, et concupiscendum conveniunt. Septimum scandalum honorum. Octavum contemptus prohibitionis Sanctæ Matris Ecclesiæ. Nonum amissio temporis, et interdum (adde tu) desperatio. (9. Unde P. Ribadeneira in *vita S. Francisci de Borgia cap. 5.* dicit, ludo tria pretiosa amitti, tempus scilicet, pecuniam, et devotionem, ac sæpe conscientiam.

(10. Clerici cauponas, vel tabernas, nisi longioris itineris causa ingredi prohibentur; c. *Non oportet 2. cap. Nulli Cler. 3. et cap. Clerici 4. Dist. 44. in quorum ultimo sic præcise statuitur: « Clerici edendi, et bibendi causa tabernas non ingrediuntur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. » Concordat Can. 13. Apostol. ubi sic decernitur: « Si quis Clericus in cauponas cibum capere deprehensus fuerit, a communione excludatur, excepto tamen qui necessario in itinere in commune diverterit hospitium; » et c. Clerici Officia 15. de vita, et honestate Cleric. ubi sic expresse habetur: « Et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. » (11. Et tanto minus eis tabernas habere licet; si enim eas ingredi prohibentur, multo magis in ipsis ministrare aliis vetantur, textu expresso in *cap. Nulli Clerico 3. dist. 44.* ibi: « Nulli Clerico tabernam, aut ergasterium habere liceat, si enim eas ingredi prohibentur, multo magis aliis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. » Concordat *Clement. 1. de vita, et honest. Cleric.* ibi: « Diœcesanis locorum districte præcipimus, ut Clericos carnificum, seu macellorum, aut tabernariorum officium publice, et personaliter exercentes nominatim, et tertio moneant, ut sic ab hujusmodi Officiis intra convenientem terminum momentium ipsorum arbitrio moderandum desistant, et quod ipsa nullo unquam tempore reassumant. » (12. Tales Clerici si ter personaliter moniti non desistant, vel deinde reassumant, tunc si sint Clerici conjugati, omni carent privilegio Clericali solum in rebus, dum incedunt ut Clerici; et si incedant ut Laici, carent etiam privilegio Clericali in personis eo ipso, et quandiu in præmissis persistierint; textu claro in *d. Clement. 1.* ibi: « Qui si taliter moniti ab ipsis non destiterint, aut ipsa (ut præmissum est) exercendo reassumpserint quandocunque, conjugati omnino, non conjugati vero in rebus, et si omnino incedant ut laici, in personis, privilegium Clericale, quamdiu præmissis institerint, eo ipso amittant. » (13. Quod tamen procedit, si hujusmodi artes exerceant per se, et personaliter, secus si per alium. Ita Gloss. *verb. publice et personaliter in dict. Clement. 1. Duaren. reg. 69. vers. limita tertio; Menoch. de arbitr. caus. 413. Perez lib. 3. Glossa 1. pag. 96. tom. 4. lib. 8. ord. Azved. lib. 15. n. 2. tit. 7. novæ recop. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univers. c. 40. n. 74.* (14. Per tabernas autem, et caupo-*

nas intelliguntur domus, in quibus panis, vinum, et carnes coctæ, et alia hujusmodi venduntur. Ita Gloss. *verb. Tabernariorum in dict. Clem. 1. de vit. et honest. Cleric.* Rebuff. in *leg. Tabernæ appellatione 183. ff. de verb. signific. pag. 96.* Cardinal. Tusch. *pract. conclus. tom. 8. lit. V. Conclus. 1.* Barbosa de *appellatione verborum utriusque Juris signific. appel. 257. n. 1.*

(15. Crapula, et ebrietas sub gravissimis pœnis usque ad suspensionem ab Officio, et Beneficio est Clericis interdicta. *Canon. 41 et 42. Apost. cap. Episc. dist. 35.* quorum verba relata sunt supra *num. 1. cap. A Crapula 14. de vit. et honest. Cleric.* ibi: « A crapula et ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, et se vino; nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas, et mentis inducat exsilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum ab usum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; et ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat et calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab Officio, et Beneficio suspendatur. » Concordat Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. de reform.* sub eisdem pœnis per antiquos Canones statutis, et etiam majoribus arbitrio Ordinarii infligendis abstinentiam a comessionibus, et ebrietatibus injungens, ibi: « Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, et honestate... luxu, comessionibus... copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. » (16. Et merito sunt statuta tam rigida pœnæ contra Clericos crapula, et ebrietati deservientes, cum ex Concilio Agathensi relato in *cap. Ante omnia 9. dist. 35.* ebrietas sit omnium vitiorum fomes, et nutrix, ibi: « Ante omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, et nutrix est, et juxta *cit. c. A Crapula: Ebrietas, et mentis inducat exsilium, et libidinis provocet incentivum: adeoque suadeat Apostolus ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; et Salvator ipse Luc. 21. præcipiat: attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate, » cum sit maxima Dei offensa; propter quam ebriosi Regnum Dei non possidebunt; *1. ad Cor. 6.* utpote *quorum Deus venter est*, ut scribit Apostolus *ad Philippen. 4.* (17. Unde contra hanc cibi, et potus immoderantiam vehementer declamat S. Hieronymus relatus in *cap. Ne tales 28. et cap. Legimus 29. dist. 5. de consecr.* ex quo talis immoderantia valetudinem lædat, morbos accrescat, et vitam ipsam abrumpat, juxta illud Ecclesiastici 37: « In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram; propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinent est, adjiciet vitam. » (18. Observandum tamen est, quod hic in sensu Sacrorum Canonum aliud est crapula, et aliud est*

ebrietas. Crapula enim est excessus cibi, seu immoderata voracitas, et ingluvies, qua stomachus prægravatur; *Cap. Ne tales* 28. *dist. 5. de consecr.* dicit enim lex: «*Ex nimia ingurgitatione olet os*; I. Quod clarum § Is cui, ff. de ædil. edict. *Glossa* in cap. Cum Apostolus, de censibus in verb. sumptuosas.» (19. Dicitur autem Crapula quasi cruda epula. *Glossa in d. cap. A Crapula, verb. Crapula*, quia homines ita voraciter epulantes nimiamque ciborum superfluitatem ingurgitantes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt; *cap. Sint tibi* 18. et *cap. Ne tales* 28. *dist. 5. de consecr.* (20. Ebrietas vero est excessus vini, et immoderata potatio, et sic distinguunt *Glossa* 1. in *cap. A Crapula* 14. *de vita et honest. Cleric.* et ibidem *Hostiens. n. 1. Joann. Andeas n. 4. Butrius n. 8. Ancharan. et Abb. n. 1. Fagn. n. 9.* et alii. Sed Aristoteles in *Problema*. in eo distinguit crapulam ab ebrietate, quod ebrietas una cum mente admittit et sensum doloris, crapula vero constante animo caput afflicat. (21. Dicitur autem ebrietas ab *E* quod est sine, et *bria* quod est mensura; unde ebrius dicitur, qui sine mensura bibit, hoc est usque ad privationem usus rationis. Ita *Glossa in d. c. A Crapula, verb. Crapula*. (22. Unde licet hæc omnibus prohibeantur, præcipue tamen damnantur in Ecclesiasticis, et Dei servitio mancipatis; *cap. Vinol.* 6. *dist. 35.* ibi: «*Vinolentum Sacerdotem et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et siceram bibere, ne crapula, et ebrietate aggraventur corda eorum.*» (23. Nec Clerici debent bibere ultra tertiam vicem, ut dicit textus in *cap. Quando presbyteri* 9. *dist. 44.* ibi: «*Et maxime ultra tertiam vicem poculum non contingant.*» Unde *Lucius Apuleius Florid.* 1. Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad insaniam; sed in hoc spectanda est qualitas complexionis, et temporis, et omnia ad sobrietatem, et necessitatem sunt reducenda, ut recte advertit *Marian. Soccin. in cap. Si constiterit num.* 19. *vers. Tertio quoties sit bibendum, de accusationibus.* Licet enim *Navarrus in Manual. cap. 25. n. 111.* dicat, quod Clerici ultra tertiam vicem bibentes peccent, tamen secundum rectum sensum *Abbat. in cit. cap. A Crapula n. 2. verb. Nam debet Clericus*, est sic tenendum, dummodo appetitus naturalis ultra non exigit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(24. An lusus schaccorum referendus sit ad ludum aleæ, Clericisque sit prohibitus, non conveniunt Doctores. (25. Dubium nascitur ex eo quod ingenii magis quam fortunæ ludus esse videatur. Qui licitum eum faciunt, quatuor observari volunt requisita. I. Ut ad oblectamentum non ad lucrum ludus instituat. II. Ut non magnum temporis spatium insumatur, ne a rebus sacris abstrahantur. III. Ut aliorum, et præsertim sæcularium aspectus evitetur. Et IV. Ut profanos viros in eo socios non admittant. (26. At *Angelus de Malefic.*

pag. 333, et Navarr. in Manual. Confess. cap. 20. sub num. 3. eum Clericis interdictum volunt, quum ad latrunculos istos artificiose versandos exigatur ea ingenii contentio, ac prolixitas temporis, ut ad animos potius defatigandos, quam relaxandos aptus videatur, et qui vincitur numquam non male se habet.

ARTICULUS VI.

Clericus quoad arma, et venationem.

(1. Clerici sine justa et necessaria causa arma deferre non possunt; «*cap. Nimirum* 1. *Cap. Cum a Judæis* 2. *cap. Non pila* 3. *capit. Clerici* quæ. 15. *cap. Quicumque ex Clero* 6. *caus. 23. quæst. 8. cap. Clerici arma* 2. *de vita, et honestate Clericor.* *cap. In audientia* 25. *de Sentent. Excommunic.* et *Clement. 1. de vita et honestate Clericor.* in fin.» ibi: *Arma portantes.* (2. Quinimmo est Clericis prohibitum arma deferre sub pœna Excommunicationis; textu claro in dicto *cap. Clerici arma portantes. . . excommunicentur.* (3. Unde inferunt Doctores, quod Clerici arma prohibita deferendo peccent mortaliter, quia Excommunicatio non fertur nisi pro gravi crimine; *cap. Nemo Episc.* *cap. 14. Caus. 11. q. 3.* ibi: «*Quia Anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine. Concordat cap. Nullus Sacerdotum* 42. *eadem caus. et quæstione.*» (4. Et ratio, quam communiter reddere solent Doctores, est, quia Clericorum arma, et munimenta debent esse Orationes, et lacrymæ, ut inquit *S. Ambrosius ad Marcellinam sororem Epist.* 33. et refertur in *c. Convenior.* 21. *caus. 23. q. 8.* ibi: «*Lacrimæ meæ mea arma sunt, talia enim sunt munimenta Sacerdotis.*» Idemque *S. Ambrosius relatus in cap. Non pila* 3. *caus. 23. q. 8.* ibi: «*Orationes, et lacrimæ fuerunt mihi arma adversus Milites, talia enim sunt munimenta Sacerdotis,*» et colligitur ex *Divo Hieronymo in Levitico*, et relato in *cap. Si quis* 3. *dist. 36.* et ex *Joanne Summo Pontifice in cap. Porro* 14. *caus. 16. q. 3.* (5. Sed quoad hoc, et omnia quæ faciunt ad delationem armorum, vide verb. *Arma* ubi late per totum.

(6. Venatio frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta; *cap. Episcopum* 1. *de Clerico venatore*, ibi: «*Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur;*» *cap. Omnibus* 2. *eodem tit.* ibi: «*Omnibus Servis Dei venationes, et silvaticas fatigationes cum canibus, et accipitres, aut falcones habere interdicimus.*» *Conc. Lateranense IV. Can. 15. sub Innocentio III.* his verbis: «*Venationem, aut Aucupationem universis Clericis interdicimus; et Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. ubi præcipitur, ut Clerici at illicitis venationibus, et aucupii absti-*

neant.» (7. Venatio enim, quæ fit cum canibus, et falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamorosa, et illicita; ex *ciat. cap. Episcopum* 1. et *cap. Omnibus* 2. *de Clerico venat.* Difficile enim est, quod hæc venatio non sit illicita Clericis, si canes, qui ad venandum retinentur, ex bonis Ecclesiæ nutriantur. Nam cum bona Clericorum sint pauperum, aut Ecclesiæ, et consumi non possint, nisi in usus pios, non erit leve delictum, si comedant bestia, quod Christi pauperes alere deberet. *Passer. de stat. homin. tom. 2. qu. 187. art. 2. num. 293.* ubi expendit textum Evangelii *Matth. 15.* «*Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus.*» (8. Unde jure merito observat *S. Hieronymus*, quod et notare, et trepidare deberent omnes Clerici venatores, quod venatores fuisse Sanctos non legitur. Sic refertur in *cap. Quorundam* 1. *dist. 34.* ibi: «*Nam et B. dicit Hieronym. venatorem numquam legimus sanctum; et cap. Esau* 11. *dist. 86. ibi: Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis Sanctum aliquem venatorem.*» (9. Nec minus urgent, quæ contra vitium venationis declamat *Sanctus Ambrosius relatus in cap. Quid prodest* 12. *dist. 86.* ibi: «*Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriare venatibus, abstinere cibis, et errare peccatis?*» Et in *cap. An putatis* 13. *ead. dist. 86.* ibi: «*An putatis illum jejunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non Beatorum Martyrum loca Sancta perquirat, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, silvasque perlustrat? Servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum.*»

(10. Unde neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex Sacra Congregatione Immunitatis fuit declaratum, licere Episcopis concedere Clericis licentiam gerendi arma solum cum legitima causa juxta Sacros Canones, ut in *Carinolen. 2. Jul. 1647. Decret. Paul. pag. 14.* his verbis: «*Episcopo licere licentiam concedere Clericis gerendi arma ad præscriptum Sacrorum Canonum, illaque non posse comprehendere sub bannimentis laicalibus; et in Bellocast. 18. Junii 1658. lib. Decret. Rocci pag. 92.* his verbis: *Episcopus cum legitima causa juxta Sacros Canones potest concedere Clericis licentiam gerendi arma, nec illi comprehenduntur sub bannimentis Laicalibus.*» (11. Adeoque cum ex suprad. etis aperte constet extra casus itinerris, et necessariæ defensionis ab hostibus, et latronibus, Clericos arma deferre, et præsertim pro voluptuosa venatione, esse contra, et non juxta Sacros Canones, stat evidenter, quod Episcopi nequeant licite pro ista sola causa eis licentiam concedere arma gestandi; et consequenter Episcopi, concedendo Clericis licentiam deferendi sclopum venatorium, non sunt immunes a culpa, quia

potestate, quam dedit illis Deus in ædificationem, ipsi abutuntur in destructionem contra præceptum Apostoli 2. *ad Corinth. cap. 18. et c. 13.* (12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abierit in desuetudinem, et quod contrarius fere ubique hodie invaluerit usus; quia talia opponentibus aptatur responsio *Innocentii III.* data *Archiepiscopo Turonensi contra aleatores, qui se excusabant prætextu consuetudinis, in cap. Cum inter dilectos* 11. *de excessibus Prælator.* his verbis: «*Nos tamen, qui ex Officii nostri debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam devenitur, penitus improbamus excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela est) palliatur, frivolum reputamus, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquendi auctoritas usurpatur.*» Et concordat *cap. Ad Audientiam nostram* 3. *de consuetudine*, ubi sic expresse habetur. *Consuetudo quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* (13. Et etiam quia talis excusatio improbatur hodie a *Sacro Concilio Trident. sess. 22. c. 1. de reform.* præcisus, et formidandis his verbis: «*Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, et honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comensationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum ipsisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio excusationem hanc, quæ ad morum corruptionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindicæ pœnas persolvant.*»

(14. Et per hoc *Patres In Concilio Mediolanensi I. part. 1. tit. de armis, ludis, et spect.* *pag. 18.* una cum *S. Carolo* congregati sic absolute decreverunt: «*Idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant; quod si Episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia, ipsis uti liceat, non tamen publice, nisi rei, aut facti necessitas postulet: omnino balista, hastis, et sclopeto, aliisque hujus generis instrumentis uti ipsis interdicimus.*» (15. Et sic etiam censuit *Sac. Congreg. Immunit. in Ostunen. 6. Jul. 1697.* in qua cum *Clerus Terræ S. Viti* illius *Dicæcesis* recursum habuisset ad dictam *Sacram Congreg.* pro moderatione Synodi, in qua inter cætera in *tit. de vita et honestat. Clericor.* statutum reperiebatur sic: *Ne quis gestare audeat, seu afferre arma non prohibita offensiva, videlicet Pistole, Terzette, Archibugi seu Schiopette, Spade, etc., ed altre armi offensive, sub pœna exilii ab hac Civitate, et*